

Haionus Nessa a Reinholdus Gehren von

Theses De Compensationibus

[Rostock]: Myliander, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728669757>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 15. Feb. 1610

a Nessa, Haione *la*

THESES
DE COMPENSA-
TIONIBVS.

Quas

DIVINA FAVENTE GRATIA.

*Decreto & autoritate Amplissimi Senatus Facultatis
Juridicae, in inclytz Rostochiensis Academia.*

PRÆSIDE

Magnifico Viro,

DN. HAIONE A NESSA Jcto,

*Illustriſſimorum Iuniorum Principum Megap. Cancellario,
Academiae Rostochiensis Professore Ordinario, &
Collegij Ictorum DECANO.*

Pro consequendis in utroq; Iure Doctoralium pri-
vilegijs publicè discutiendas exhibet.

*In Auditorio majore ad XV. Februarij:
horis consuetis.*

REINHOLDUS von Gehren /
Reg. Boruff.


I. D. 182. 32.

ROSTOCHII

Excudebat Stephanus Myliander

A. M. DC. X

1610





T H E S I S I.



Um hæc nobis de compensatio-
nibus suscepta disputatio sit, operæ pre-
tiam fuerit, eam à definitione auspicari.
Est igitur compensatio, auctore Modesti-
no, debiti & crediti inter se contributio.

II.

Debiti appellatione etiam naturale debitum accipi-
mus: Nam & quod natura debetur, in compensationem
deducitur.

III.

Sed liquidum sit, & præsens debitum, necessum est,
quia illiquidi cum liquido, & ejus æris, cujus nondum dies
venit, cum eo quod præsentis die debetur, nulla compen-
satio est.

IV.

Quantitatum, vice mutua, debitarum computationem
esse, expeditum est.

V.

Ecquid verò genus cum genere, species cum specie,
species cum genere, recte compensentur, disputando in-
vestigabimus.

VI.

Compensationes ex omnibus actionibus, ipso jure
fieri, certum est, Nec interest in rem actiones sint, an in
personam.

VII.

Et siue ex contractu, siue ex maleficio agatur, dummodo pecuniariè actio intentetur, compensationi locus erit.

VIII.

Actioni tamen depositi, non recte compensationem opponi, indubitati juris est: Ne contractus, qui ex bona fide oritur, trahatur ad perfidiam.

IX.

Idem & in actione ex stipulatu, quæ uxori competit ad repetendam dotem, soluto matrimonio locum habere, quamvis sint qui affirmant, verius arbitramur.

X.

Sic etiam momentaneæ actioni, quæ spoliato adversus spoliatorem datur, compensatio nequicquam obicitur.

XI.

In actione commodati sit ne locus compensationi, necdum finitæ litis est, magis est, ut eam hic admittendam statuamus.

XII.

Ideò vero compensatio necessaria visa est, Quod interfit nostra, potius non solvere quam solutum repetere.

XIII.

Unusquisq; enim creditorem suum, eundemq; debitorem, petentem submover, paratus compensare.

XIV.

Sic Tutor tutelæ iudicio conventus compensare potest, id quod in rem pupilli, non inutiliter impendit.

Sic &

XV.

Sic & ejus æris, quod ipse pupillus debet; compensatio petenti tutori non injuriâ obijcitur, licet tutela divisa sit.

XVI.

Quod vero pupillo debetur, si tutor petat, placuit non posse fieri compensationem ejus pecuniæ, quam tutor, suo nomine, adversario debet.

XVII.

Si quid à fidejussore petatur, æquissimum erit, ejus arbitrio relinqui quod sibi, an quod reo debetur, compensare malit, sed etiam utrumque velit compensare, audiendus est.

XVIII.

Fiscalis quoque debiti petitionem regulariter compensatio excludit, siquidem eadem ratio, quæ petit, debeat, idque intra tempus bimestre liquidò probetur.

XIX.

Idem & in Reipubl. nominibus obtinet, ut Reus conventus, ea quæ sibi à Republica invicem debentur, compensare possit.

XX.

Procurator in rem suam, puta, Emptor nominis, aut donatarius, ecquid tam ante, quam post litis contestationem, compensatione uti possit, quæritur? Verius est utroque tempore compensationi locum esse.

XXI.

De eo quoque dubitatum meminimus, an nomen cessum, cum onere compensandi ex persona cedentis, in Cessionarium transeat? idque affirmandum ducimus.

XXII.

Nec minus illud controversum est, ex communicatione, an compensare permissum? Quod æquius arbitramur.

XXIII.

Eum qui jurato solutionem promisit, si compensatione utatur, nequaquam se perjurio obstringere, contra Canonitas, non dubitanter asserimus.

XXIV.

Compensatio quovis tempore, tam ante litis contestationem, quam accepto jam judicio, adeoq; & post latam sententiam, recte proponitur.

XXV.

Ideoq; is qui judicati convenitur, si compensatione uti, quam judicatum facere malit, audiendus est.

XXVI.

Ejus tamen pecuniæ, quam quis ex causa judicati solvit, nec repetitionem esse, nec compensationem, extra controversiam est.

XXVII.

Illud quæri solet, si mihi petenti decem, cum tibi viginti debeam, compensare voles, admissa in decem pensatione, an simul in reliqua decem condemnatus dici possim? Rectius est condemnatum non videri.

XXVIII.

Illud haud prætermittendum, creditorem id, quod non debitori suo, sed alij debet, ut compenset, cogi non posse.

Compen-

XXIX.

Compensatio tametsi ipso jure fiat, tamen in judicio
eam proponendam esse existimamus.

XXX.

Compensationis hujus non levis vis & efficacia est,
ea enim reus, æque ac solutione, promodo debitæ mutuo
quantitatis, omnino liberatur.

XXXI.


Usq; eo, ut si quis compensare potens solverit, solu-
tum, velut indebitum, conditione repetat.

XXXII.

Sed nec illud omittendum, qui jus compensandi ha-
bet, ab eo nec usuras concurrentium invicem quantita-
tum exigere, neq; moram illi recte imputari posse.

XXXIII.

Cujus illud consequens est, Emphiteutam ob non so-
lutum Canonem, si habeat Domino quod reputet, mini-
me cadere Emphiteusi.



Coro-

Coronidis loco quæritur?

I.

Ecquid in nuptijs liberorum, jure Canonico, parentum requiratur consensus.

II.

An eodem jure pactum nudum producat actionem.



XV.

Sic & ejus æris, quod ipse pupillus def
satio petenti tutori non injuria obijcitur, l
vifa fit.

XVI.

Quod vero pupillo debetur, si tutor
non posse fieri compensationem ejus pecun
tor, suo nomine, adversario debet.

XVII.

Si quid à fidejussore petatur, æquissim
arbitrio relinqui quod sibi, an quod reo debe
sare malit, sed etiã utrumq; velit compensa
est.

XVIII.

Fiscalis quoq; debiti petitionem regula
satio excludit, siquidem eadem statio, qu
at, idq; intra tempus bimestre liquidò prob

XIX.

Idem & in Reipubl. nominibus obtinet
ventus, ea quæ sibi à Republica invicem d
pensare possit.

XX.

Procurator in rem suam, puta, Emptor
donatarius, ecquid tam ante, quam post lit
nem, compensatione uti possit, quæritur
utroq; tempore compensationi locum esse

XXI.

De eo quoq; dubitatum meminimus,
sum, cum onere compensandi ex persona
Cessionarium transeat? idq; affirmandum

A 3

